Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2179
Quelle:
Copyright:

renuncians ſeculo in omnibus, que poſſidebat, ſancte religionis ſuſcepit habitum proponens ſoli chriſto in ordine carthuſienſium ſtrenue militare. Coenobium *Mauerbacenſe* prope *Viennam* ingreſſum fuiſſe, inde putem, quod ad calcem Codicis noſtri legatur: *Iſte liber eſt fratrum domus Vallis omnium ſanctorum in mawerbach.* Altum cetera de eo ſilentium. Itaque ad ejus Epiſtolam revertor, qua *Zagrabienſi* in *Croatia* Epiſcopo, qui tunc erat *Eberhardus de Alben*, haec ſignificat: *Certe de pertranſeuntibus hic Wyenne non nullos veſtre dyoceſis clericos ſeu ſcolares, quod dolenter refero, ſingularis et peruerſi deprehendi Wicleſſiſtarum dogmatis ſectatores. Vnde quia et nunc huius erroris hereſiarce inter alia plura ſue temeritatis abſurdiſſima deliramenta contra clerum conantur, et ad ſpoliaciones eccleſiarum potentes ſeculi prouocare — adhortor, ne tante peruerſitatis delatoribus locum in veſtris permittatis diſtrictibus* &c. Neque contentus hac denunciatione alteram inſtituit; ſequitur enim:

2) *Copia ejusdem ad Capitulum Sagrabien.* Praeter ea, quae ad Epiſcopum ſcripta legimus, hic addit Noſter: *Nam nunc eciam Jeronimus ipſe a praga hereſis huius ſeminator non minimus ſubuerſionis gratia ad regem Cracovie* (Jagellonem) *et fratrem eius* (Svidrigelonem) *in fide prout noſtis adhuc neophitos ſe contulit. Sicut ex veridica relacione percepimus hic Wienne* &c. Data eſt haec Epiſtola *anno 1413. Clericos* et *Scholares* praedictos ab Academia *Pragenſi*, in qua *Joh. Huſſus* tunc plurimum poterat, in Patriam reverſos ab Epiſcopo, Capituloque admonitos fuiſſe oſtenſis fortaſſe etiam Noſtri Litteris, remque illico *Pragam* nunciaſſe patet ex *Docum.* ſequenti:

3) *Copia Johannis Hus ad prefatum doctorem;* Johannem videlicet Sybart. Acris Epiſtola ita orditur: *Salutari non meretur qui grauibus mendacijs diffamat proximos, Sed dignus correctione cernitur eſſe, vt mendacio ſuo cognito ad uiam caritatis cicius reuertatur. Ecce tu profeſſor, non ſacre Theologie, ſed informacionis nequicie, cur magiſtrum Jeronimum diſſeminatorem hereſis non minimum aſſeris, de cuius fide tibi non conſtat* (poterat ei conſtare ex iis, quae cum *Hieronymo* acta ſunt *Viennae* an. 1410. ut habentur apud *Marc. Hanſizium Germ. ſacr.* T. I. p. 491.) *et addis glorioſum mendacium, quod ipſe ſubuerſionis gratia ad Regem Cracovie et fratrem illius ſe contulit. — Nec ipſum magiſtrum honorabilem ſolum auſus es dentibus mordacibus contingere, ſed communitates maximas. Non ſuffecit tibi bohemia, ſed et ſclauorum regnum in ſcolaribus temeritate dyabolice hereſis criminare auſus es.* Cetera minae et objurgationes. *Datum in Octaua Johannis baptiſte. per magiſtrum Johannem hus in ſpe ſeruum ihesu chriſti.* Haec Epiſtola non habetur